5

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HAEMATEMESI.



AUCTORE ROBERTO H. BOLTON.

Quum momentum sanguinis insigne ad corporis animalis functiones reputamus, ante omnia item alia fluida ejus praestantiam, ac intimum quem cum praecipuis corporis muneribus habet nexum, necessitudinem quoque indissolubilem ejus cum his, et praecipuam partem quam agit in serie illa phaenomenôn vitam constituente, judicare adducemur corpus universum serio affectum iri ab iis rebus quae jacturam nimiam inducunt hujus tam utilissimi fluidi, cui medici aliqui haud in-

[1818]

epte nomen "Rivi vitae purpurei," indiderunt.

Morbi profluvio sanguinis ab aliquo organo corporis praecipuo, notati, digni sunt omni attentione eorum qui artem nostram salutarem profitentur, jureque haud minus gravis naturae habentur quam alii quibuscunque genus humanum obnoxium est; perniciosa quidem celeritas qua terminant ac multi morbi quos post terminationem demum protractam, et eventu feliciore coronatam inducere consuêrunt, me adduxerunt ut ex haemorrhagiis Haematemesin seligerem, utpote argumentum Dissertationi Medicae idoneum, praesertim cum sedem secundam apud eos quoad periculum attinet, occupare videtur.

Illustrissimus Cullenus in ordine nosologico a Sauvagesio et Vogelio dissentiens, non morbum *idiopathicum*, sed alîus cujusdam morbi *symptomaticam* judicavit; hoc forsan dubium est, auctoritatem saltem celebris et recentis scriptoris habemus,* morbum subinde

* Wilson, Systema Nosologicum Morborum febrilium.

idiopathicum existere, atque in hac sententia secum habet Langium, Schenkium, Amatum Lusitanum, Felicem Platerum.

Haematemesis morbus est circa tempus pubertatis vel aetatem mediam occurrens, atque ut apparet, faeminis quam maribus frequentior, exemplis plerisque *symptomatica* nonnisi raro *idiopathica*; severitatis gradus morbum comitatus multum variat, nonnullis haemorrhagia levis est, causam timoris vix ullam inducens, dum aliis copia sanguinis amissi etiam brevi spatio ingens est, atque effectus in corpore valde perniciosi, promptum et solertem remediorum exhibitionem postulantes, atque haec aliquando cursum morbi lethalem inhibere non valent.

INDICIA.

In classes duas dividantur, scilicet, praenuncia et ea paroxysmum constituentia; prima sunt anxietas, molestia vel lassitudo universa, tensio, dolor profundus aliquando pun-

gens circa praecordia, ructus flatulenti, calor quoque membrorum extremorum minuitur, dum calor corporis aliquantum augetur, vultus anxius, pulsus varie afficitur, modo plenus aut parvus, modo debilis aut fortis, aegri subinde vertiginem, tinnitum aurium, visus obscuritatem, sputationem perpetuam queruntur; *secundo gradu* vehementia eorum qui supra dantur aucta est, respiratio celerior fit, nausea, vomituque succedente. Materia ejecta sanguis est, nigro fere colore et grumosus, nonnunquam ad floridam vel coccineam tincturam accedit, quod indicat fluxum a ramo quodam arteriarum provenire. Res quae in stomacho sunt cum materia ejecta mistae sunt, omneque dubium de cruoris origine tollunt, si morbus vehemens sit, vomitus post aliquod temporis cessat, atque intervallum otii incertum supervenit, sed sanguine in ventriculum indesinenter fluente, ibique se accumulante, adeo actionem renovatam excitat, vomitus redintegratur atque hoc modo durat donec aut sponte, aut remediis idoneis profusio demum compescatur, aut corpus ae-

gri tantum jactura sanguinis extenuatur, ut vires ejus succumbere incipiunt, pulsus subsidit, celer, debilis, abnormis factus, membra frigescunt, sudore viscido, teguntur, delirium mite, singultus, convulsiones accedunt, atque mors postremo insequitur.

In his exemplis fauste terminatis, indicia minus gravia sunt, atque paulatim minuuntur, sanguis copia minore ejicitur, atque vomitûs intervalla nunc magis producuntur, donec tandem nil nisi materia mucosa, forsan subrubra ex sanguinis pauxillo parce exsudante, percipiatur, haec paulatim fit clarior et postremo speciêi naturalis, aeger non amplius jactura infirmatus progrediente tempore vigorem recolligit.

Nonnullis nihil tam felix accidit, etiamsi fluxus sanguinis suppressus fuerit, namque ventriculus et munere et fabrica deturbatus esse potest, et novi alii morbi inducti, veluti dyspepsia, ulceratio, dolore profundo comitata, nausea, vomitus aliquando materiae purulentae, macies, debilitas magna, febris hectica, vel affectiones universae hydropicae.

CAUSAE HAEMATEMESEOS.

Has fontes tam multae praebent, quod sigillatim et ordine suo considerare praestabit, *causam autem generalem* producit quicquid sanguinem in visceribus Lieni, Hepati aut Pancreati circulantem impedit; hanc ob causam sanguis non iter legere solitum permittitur, atque copia ejus major sic ad alios ramos arteriae caeliacae divertitur, quae non solum has glandes sed ventriculum quoque sanguine instruit; hinc istorum viscerum augmenta reperimus praesertim protracta saepe Haematemesin supervenire, atque ex hac causa in iis vino vel vinosis addictis, quibus hepar fere morbose se habet, saepe occurrit.

Lienis augmentum ante omnia hunc affectum induxisse creditur, a pressu in vasa brevia quae rami sunt ex arteria ad ventriculum transeunte, nempe splenica.

Haematemesis quoque inducatur, licet ra-

rius ita fiat, plenitudine universi corporis, in sedentariis, ignavis, quorum exempla auctores locupletissimi memoriae tradiderunt; sic Camerarius, Bartholinus, Salmuthius; sic etiam Girardus dissertatione, "sur L'Haematemese, 1815."

Cholericis quoque, iracundis, familiaris est; sunt tamen corporis conditiones quae sanguinem ad certas partes prae aliis dirigant, etiamsi hoc a rebus fortuitis quoque effectum esset, quamvis, confiteri oportet, exempla istius modi rariora sunt nec facile explicantur.

Inter alias causas adnumerentur vulnera ventriculi ipsius, casus, vel ictus epigastrio impacti, quibus vasa quaedam rumpantur, quam ob causam si sanguinis profluvium nimio liberum esset, multum periculi timendum est, haud minus a copia sanguinis perdita, quam injuria organo tam vitali illata.

Suppressio profluviorum, quibus corpus jam diu sese assuevit, ut *Haemorrhoidum*, vel certis intervallis redeuntium, qualia Menstrua existunt, Haematemesi ortum praebeant, quum

vero ab his causis exortae, aut *critica*, aut *vicaria* habeatur; hujusmodi exempla nequaquam insolita, atque cum morbus evanescat et redeat certis intervallis aut omnino desinat, suppressione amota causae satis est cur istum indicium tantum earundem causarum credamus.

Causis supra recensitis graviditatem adjiciam, atque valde probabilem; cum consensum bene notum inter uterum et ventriculum animo contemplor; sententiam nostram exemplum infra descriptum, cujus quidem curatione ipse versatus sum, vehementer corroborat.—Fæmina juvenis nupta, anno aetatis suae vigesimo sexto, robustae, et antea sanae corporis constitutionis, uterum jam mense quinto gerens, post nisum ad pondus ingens sustollendum subito correpta est dolore, plenitudine, tensione regionis Epigastricae, tussi levicula, anxietate, nausea, vomitu sanguineo, ex intervallo per biduum redeunte, ad minimum libras octo superante, atque hoc omnibus remediis quae excogitari potuerint non obstantibus; perpetua ventri-

culi actio tandem partum superinduxit praematurum post quem vomitus cessavit, sed aegra tantum infirmata est a sanguinis jactura, atque cruciante ventriculi labore, ut die post tertia quam peperisset morbo succubuit. Hoc in exemplo nihil dubii de morbi causa existere potuit, qui graviditatem tantûm secutus est, et partu absoluto finitus est.

Haematemesis aliquando sequela est vomitus gravioris seu sponte seu arte producti, atque conamina perpetua ventriculi sanguinem ad arterias ejus minutas propellentis, quae nimis distensae tandem rumpuntur.

Corrosiva vel acida in ventriculum accepta veluti murias hydrargyri corrosivus, acida meracissima, huic morbo originem praestiterunt; sed cum inflammatione et gangraena conjunctam, dissectiones tunicam ventriculi internam villosam, vasculis refertam esse, vasa ejus minuta sanguine turgescere, atque sanguinem sero mixtum in cavo ventriculi, ostenderunt.

Febribus nonnullis, praesertim febre remittente biliosa regionum calidarum hae-

matemesis, versus finem morbi occurrit, tum omen funestum habendum, pauci enim vel nulli tali morbo eripiuntur. Haec species *Vomitus Niger* appellatur. Medici nonnulli an liquor ejectus sanguineus fuerit dubitârunt, sed scriptor de hac febri recentissimus, * pro comperto habet, sanguinem esse a vasis minimis tunicae ventriculi villosae affusum; hoc enim organum versus morbi terminationem vehementissime afficitur.

Haematemesis existat etiamsi nulla in fabrica ventriculi aut viscerum perturbatio adfuerit, ut in Epistaxi, a sanguine per nares posteriores in ventriculum descendente, qui ibi accumulatus vel copia sua vomitum excitat, dictum est hoc modo vomitum sanguinis insecutum esse hirudines palato posteriori adhaerentes. Ut descriptionem morbi condensiorem concinnemus, causas summatim in modo generali insequente tradamus. Illi qui corpore imbecillo, forma gracili, ingenio iracundiori sunt, ad vehementes animi affec-

---

* Bancroft, de Icterode.

tus proni, praesertim si faeminae fuerint, ad Haematemesim proclives sunt. Juvenes et pleni, pubertatem jam praegressi, ii magis vita sedentaria, victu lauto utentes, quive membrum corporis aliquod nuper amiserunt, eidem obnoxii sunt. Saepe observatur inter homines prius haemorrhoides passos, vel apud faeminas quibus menstrua suppressa vel abnormia fuerunt; apud eos etiam quibus viscerum abdominis veluti Lienis, Hepatis, Pancreatis, perturbatio fabricae aliqua existat, quibusve obstructio aliqua majorum vasorum abdominis sanguinem ferentium inducta fuerit.

Assignari quoque potest longo et continuo usui liquorum ardentium vel vinosorum, aliarum materiarum quae stimulo suo ventriculum irritant, artis denique artificiis vitae generibus quae corporis inclinationem antrorsum, atque epigastrii compressionem requirunt.

DIAGNOSIS.

Ars inter morbos qui in multis partibus sibi invicem similes existunt, discriminandi,

atque indicia singula quae notas distinguentes componunt, indicandi, praecipuum forsan munus medici solertis constituit; morbo autem de quo agitur haec facultas raro in usum vocabitur; adeo evidentia et distincta sunt signa, ut vix aut ne vix quidem cum alio quovis morbo misceri possit, haemoptysi excepta. Hoc verò morbo tussis semper adest, et sanguis ejectus ab aëre admixto spumat, color ejus *coccineus* ut nominatur, cum pulsu celeri et duro; dum in Haematemesi tussis non necessariò adest, sanguinis accessus nauseâ praeceditur, coagulatus est, et rebus alienis quascumque ventriculus habuerit, intermixtus, pulsus quoque minus durè digitum ferit; dicitur quoque sanguinem magis *subito* et *copiose* ejici in hoc affectu quam in haemoptysi, qua eadem sanguinis copia effusa per pulmones hominem strangularet; si tamen utrique morbi concurrerent, limites distinctionis difficilius delineantur.

De Haematemeseos curatione.—Hanc sub duobus capitibus considerare statui, scilicet remediis inter vomitum usurpandis;

atque posteaquam hic cessaverit iis quae recidivam ejus praecaveant; atque de utrisque quo ordine adhibeantur, loquemur.

Sanguinis Missio.—Hoc auxilium tam potens in actionem vasorum infirmando, indicatur ubi plena corporis conditio existit, ubi pulsus plenus aut acceleratus, atque signa praenuncia bene definita; tum copia sauguinis deducenda ab aetate aegrotantis, gradu plenitudinis, impetûs vehementia, effectu reddito, atque iteranda est pro re nata; haud saepe tamen haec iteratio fit necessaria, cum corpus brevi jacturâ infirmetur; atque quandocunque celeritas et plenitudo pulsus imminuti fuerunt, atque aeger debilitatem percipuerit aut animi defectionem, tum omittenda erit; status demum pulsûs monitor erit minime fallax quoad copiam vel repetitionem sanguinis mittendi, una res manet notanda, effectus hujus commodos maxime sub impetûs initio sperandos esse.

Frigus.—Effectus frigoris in haemorrhagiis supprimendis bene noti, idem praesidium ut huic morbo quoque bene accommodatum, indi-

cant, atque in eo locum sanguinis missioni proximum fortasse, occupat. Aut extrinsecus aut intrinsecus adhiberi potest. Primo consilio, glaciem pulverare et muriate vel sulphate sodae permiscere, atque vesicâ demum vel duos inter pannos linteos inclusum toti epigastrio superimponere, optime conveniet. Haec applicatio nonnihil forsitan aegro molesta sentietur, sed incommoda omnia plene compensantur futuris ejus beneficiis; vomitus enim plerumque post usum hujus decessisse invenietur. Frigoris usu externo quoque, ad aëris cubiculo aegrotantis calorem infra minuendum, quod 60 ° F. calore debet, atque aeger praeterea toralibus levissimis uti debet; accurate servans positum supinum, cum capite tamen et scapulis nonnihil elevatis. Nulla exercitatio musculorum permitti debet, atque quies immotissima imperanda, tussi etiam aut loquelâ quantum fierì potest, evitatis.

Exhibitio frigoris interna constat in usu liquorum frigidorum pro potu consueto; veluluti ex aqua glaciata modo ea haberi possit, liquor ex citro aurantio " lemonade" dictus

et similes sorberi debent *paulatim*: ne mole sua irritarent ventriculum aut actionem ejus excitarent.

Astringentia.—Variae res quae hanc classem medicamentorum componunt, in morbis sanguinis profusionem haben tibus saepissime advocantur; atque nostrâ sententiâ haud incommodae apparent; cum directè ad ora vasorum patentia adhiberi possint, et vel contrahere cogant, vel coagula formare inducant. Talium Materia Medica maximum numerum subministrat, a fossilibus aut plantis derivatum: qualia sunt acidum sulphuricum, tinctura ferri muriati, sulphas aluminae, acetas plumbi, pulvis sulphatis aluminae compositus, kino, infusum rosae Gallicae, oleum terebinthinae, de quibus singulatim agendum erit.

Acidum sulphuricum dilutum propinari debet cum potu aegri in parvis sed repetitis portionibus permixtum, quo modo vitemus et incommodum et discrimen ventriculum distendendi, ideoque proclivitatem ad vomitum augendi.

Tincturae ferri muriatis dentur pro dosi

quindecim vel viginti quinque guttae ex liquore vehiculo quovis idoneo, tertiâ vel quartâ quâque horâ. Pulvis sulphatis aluminae compositus efficaciam haud mediocrem ut medicamentum astringens possidet, atque portionibus grana decem habentibus ex infusi rosae Gallicae uncia cum semisse, tertiâ quaque horâ sorbeatur.

Acetas Plumbi—sumatur tertiâ vel quartâ quâque horâ granum dimidium singulis vicibus. Hoc medicamentum noxios etiam venenatos effectus inducere creditur in ventriculum acceptum; vires tamen ejus potentissimae astringentes attentioni nostrae eum commendant, atque aliquando morbi gravitas nos ad eum confugere cogit, scilicet illud "Melius anceps remedium experiri quam "nullum" animo contemplati.

Oleum volatile pini purissimum—fortasse nonnullis ex remediis iis jamjam recensitis praecessisse debuit, cum efficacia ejus in generibus quibusdam haemorrhagiae supprimendis nequâquam debilis est; forsan parùm proprie exhibetur cum plenitudo ulla subsit: at-

qui si pulsus imminutus sit, vel sanguinis profusio libera, ad hunc cum opio junctum utilissime confugias. Hoc consilio, drachma dimidia, vel drachma cum sex guttis tincturae opii in liquore quovis idoneo, ut infuso rosae Gallicae, exhibeatur quartâ quâque horâ.

Opium.—Proxime periculo a sanguinis jactura provenienti, metus est, a nimia ventriculi mobilitate, praeviae nimirum actionis sequela; huic quidem occurrere praecipuam curationis partem constituit, ad quam opium utilissimum reperietur. Portionibus minutis, cum sex aut octo guttis tinctura muriatis ferri, aut grano dimidio cum pulvere sulphatis aluminae composito, praecipiatur.

Vesicatoria.—Quum ventriculi mobilitas sola sit ex molestissimis Haematemeseos signis, atque vomitus sanguineus nonnihil diminutus, tum epispastica regioni ventriculi admota, hoc malum, viribus suis antispasmodicis fortasse admovebunt.

Purgantia et Enemata.—Regularis alvi de-

jectio prorsus necessaria est ad sanitatem omni tempore, nec minus in morbis ex quibus multi ut removeantur exigunt frequentem magis canalis intestinalis evacuationem ; hoc quoque in haematemesi stare potest, in quo intestina laxa servanda sunt ; haud minus ut sanguis removeatur qui ad intestina defluxerit, quique ibi remanens fieret putridus et corpori noxius, fluida ad superficies interiores ciens, adeoque ventriculi superficiem sublevans. Hinc ea purgantia indicantur quorum actio praecipua in laxioribus intestinis exercetur ; qualia sunt scammonia, vel aloe cum submuriate hydrargyri juncta ; pilulae forma est praestantior cum et ventriculo pugnare minus apta sit, quam cum medicamenta majoris voluminis exhibentur. Earum actio multum adjuvetur enematis laxantibus exhibitis ; atque si nausea et mobilitas ventriculi impense urgeant, tum his ultimis solis uti cogamur. Hunc ad usum forma bene accommodata est enema domesticum Valetudinarii Edinensis, cui quatuor vel sex drachmae Tincturae Aloes Socotorinae adjiciatur.

Stimulantia.—Cum morbus aliquod tempus duraverit, atque aegri vires multum extenuatae sunt, pulsusque fiat parvus ac celer, vis vitae sustentanda est; atque corpus universum roborandum contra talem virium suorum jacturam per remedia idonea. Quum ad hoc ventum est, usus vini et opii in dosibus refractis plene nec dubie indicatur, uncia dimidia vel uncia cum saccharo et aqua calida admixta sub forma "Negus" dicta, cum sex vel octo guttis Tincturae Opii horâ quâque secundâ praeberi potest. Ut vires naturae jam languentes excitentur, sinapismi pedibus applicentur; utilia aliis remediis reperientur auxilia, ut ipse testatus sum.

In graviditate.—Si Haematemesis in graviditate (forma morbi periculosissima) occurrat, partûm accelerari praeciperem quam primum, membranis foetûs praematurae lacerandis.

Diaeta.—Sub gravi hujus morbi impetu continuato, haud sperandum est appetitum cibi vel concoctionem unquam accedere posse ad statum naturalem; parum cibi omnino assumi potest, atque is solummodo qui debili et

irritabili conditioni organi affecti aptò accommodetur. Hinc illa victûs genera manifeste indicantur, quae facillime ventriculo retinentur, illa mitissimâ esse naturâ oportet, necnon nutrientissima, qualia sunt decocta farinacea, sorbitiones ex *Sago*, *Tapioca* et *Arrow Root*. Si haec caute et parce exhibeantur, tum decoctum leve quoddam ex carnibus praebere audeamus; ex his jus pulli gallinacei nullis quae adhibere possumus, inferius est.

Remediis inter ipsum accessum usurpandis, jam ritè perpensis, paucula tantum de recidiva praevenienda, atque de causis excitantibus mitigandis vel tollendis subnectere animus est. Medico minime satis est superesse vel amovisse impetum hujus morbi: praevenire potius se accingat, atque omne ejus consilium dirigi debet ad has causas quae induxerint tollendas, atque ad proclivitatem quam induerit ex intervallis redeundi, totamve corporis constitutionem afficiendi; haec quidem consilia implenda sunt proclivitatem ad plenitudinem occurrendo, sanguinem repetitis ac parvis portionibus mittendo,

victu parciore, praecipue ex frugibus quales minus proni in acorem feruntur, exercitatione modica, atque fortasse fonticulorum usu, alvi denique statu regulari, (acrioribus tamen omnibus purgantibus evitatis) atque omni cibo aut medicamento quae ventriculum irritarent, abstinendo.

Haemorrhagiâ multum extenuatis, quibusve corporis constitutio naturâ debilis, non necessarium erit abstinentiam tam rigidam observare; victus opsoniis levibus animalibus et vegetabilibus constare liceat; usus vini *modicus*, cinchonae administratio vel ferri, in iis formis quae ventriculo melius conveniunt, vel aquae medicinales sulphureae. Si hepatis, lienis vel pancreatis augmentum existerit, auxilia huic amovendo commodissima administranda sunt; dum enim perstet, vanum esset credere aegrum posse tutum ex vomitûs reditu dari, atque menstruis vel haemorrhoidibus suppressis idem ob oculos servandum est. Illorum reditus quam maxime regularis servandi sunt: atque hoc magis speciosum apparet auxilium quam in

abdominis obstructionibus, experientia quidèm nos in Haematemesi his causis superveniente minus de aegro in bona valetudine statuendo sperare, quam quibusvis aliis causis supra recensitis, edocuit.

Brevem hanc Haematemeseos historiam ad umbilicum jam deduxi, et quamvis ortus non praebuerit multae inter medicos controversiae, quoad naturam et curandi rationem; quòd tamen satis momenti in se habeat ut optimo jure summam eorùm attentionem sibi vindicet, ab his illustrissimi Frederici Hoffmanni dictis plane apparebit, "Periculum, quod morbus inducit non in omnibus idem, id vero certum vix ullam haemorrhagiam *hoc* esse perìculosiorem.

FINIS.

Edinburgi:
Excudebat C. Stewart.